


† Fr. I. prof. Achilleus Travaglione (1852-1934)

(*Prov. Neapol.*)

Fratello Achille confratribus, qui S. P. N. Alfonsi sepulchrum visitarunt, bene notus est; siquidem Paganis per 41 annos (1890-1831) fuit sacrista Basilicae. Et qualis sacrista! Scrupulose observabat ea, quae a nostris Constitutionibus sacristae praescribuntur: «Munditiem ecclesiae maximopere cordi habeat» (n. 1642). — «Altaria nitida sint, et rite pro festorum varietate ornata. In linteis quoque nitor superet potius quam desit».

¹ Ps. 111, 6.

(n. 1646). — « Curam habebit, ut Missae incipient hora et ordine praescriptis » (n. 1651). — « Cum mulieribus caveat, ne aut voce submissa, aut cominus loquatur, sed aliquantulum eminus, et aversa facie, demissisque oculis, et quam paucissimis potest » (n. 1657). — « Denique omnibus optimo esse exemplo sataget regulisque de modestia, cum in gressu tum in vultu et sermone, ad amussim obsequi » (n. 1661).



Praesente corpore Fr. Achillei Tartaglione in arca nondum clausa
in Basilica Paganensi absolutio ad tumulum fit persollemnis.

Multitudo fidelium qui aderant hic non satis apparet.

Nonnullis forte Frater Achilleus quandoque nimis severus et austerus esse videbatur; verum talis agendi modus, attentis circumstantiis loci et temporis, magis aptus erat ad omne, etiam levissimum, scandalum a loco sacro removendum. Vel magis secum ipse austerus erat, asperis flagellationibus se crucians et vix corpori debitam concedens quietem, ita ut saepenumero stans et laborans praepotenti somno oppimeretur. Aliquando mane repertus est in sacrarii pavimento dormiens. Ergo instar fidelis canis prope Dominum in Tabernaculo vigilantem somnum brevem et incommodum capere volebat. In praxim deducebat illud: *Oportet semper orare et non deficere*, et orationibus ac poenitentiis suis a caelo etiam gratias singulares obtinuisse creditur. Prae ceteris libris ei carus erat aureus S. P. Alfonsi liber *La Via della Salute*, in quo omni tempore libero pascua salutis

inveniebat. S. Gerardi exemplo saecularibus multoties inculcabit: *Porro unum est necessarium, et mulieribus dishonestum hodiernum vestiendi modum exprobabat.*

Optimus Frater etiam ab iis, qui foris sunt, multum aestimabatur et amabatur. Testis est vir nobilis Basilius Tramontano, unus e primoribus civitatis, diu civium praefectus, qui eius assiduae apud Deum intercessioni insigne quoddam beneficium refert acceptum; quare eum sibi elegit patrum in recipiendo sacramento confirmationis, nec desinebat hunc carissimum « animae suae patrem » novis semper beneficiis cumulare.

Fr. Achilleus, cum a. 1916 ecclesiam pro festis quinquagenariis restituti cultus Deiparae a Succursu Perpetuo exornaret, tam infeliciter cecidit, ut crus frangeretur. Nihilominus post aliquot menses, licet claudicans, suam in sanctuario Alfonsiano operam iterum assumpsit, nec prius opere cessavit quam paralysi, surditate aliisque malis ad id cogeretur. Exinde igitur non iam *Ora et labora*, sed *Ora et patienter sustine* eius vitae summa fuit, et S. Fundatori etiam in hoc similis factus est, quod identidem in sede rotis instructa (donum erat supralaudati equitis Tramontano) per collegii circuitus ducebatur.

Semper plurimum eius intererat rescire omnia, quae ad cultum gloriosi Patris legiferi spectant, et ultimum grande gaudium eius vitae terrestris fuit, quando non ita pridem brachiis confratrum in Basilicam portatus est ad contemplandam tranquille illam Paradisi visionem in novo sacello S. Alfonso cum arca Reliquiarum. Apparebat quasi ecstasicus, et corde iubilanti suum *Nunc dimittis* intonare videbatur. Brevisimo tempore exacto anima eius (ita iure speramus) animae dilectissimi Patris obviam facta est in gloria aeterna.

In Fratribus Achillei obitu confratres et cives Paganenses huic humili sanctuarii sacratae honores non communes tribuerunt, et advocatus Carolus De Vivo non dubitavit in sua oratione funebri foris habita huic humili Fatri laico accommodare verba Ecclesiastici (39, 13): *Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem*¹.

¹ Cfr. periodicum *S. Alfonso V* (1934), 305-307.